



20
19 11/

1732
15 6

VIAM REGIAM
LVSATIAE SVPERIORIS

PRAESIDE

AVGVSTINO LEYSERO

IN AVLA REGIS POL. CONSILIARIO
IN ACADEMIA VITEBERGENSI ORDINARIO,
CONSISTOR. ECCLESIAST. DIRECTORE
CVRIAE PROV. ET SCABINATVS
ASSESSORE PRIMARIO

MONSTRAT

IOHANNES FRIDERICVS SCHWARTZ

LAVBANENSIS.

VITEBERGAE D. V. IVLII cl^o Is cc XXXII.

EX OFFICINA GERDESIANA.



V I R O

PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO
GENEROSISSIMOQVE DOMINO

DOMINO
JACOBO ECCARDO
DE WOBESER

DYNASTAE IN RACKELWIZ, LOGA, OBER-
ERDMANSDORFF etc.

SERENISSIMI POTENTISSIMIQVE
POLON. REGIS ET ELECTORIS SAXONIÆ
IN LVSATIA SVPERIORI

CAPITANEO PROVINCIALI
SACRI CVBICVLI COMITI
CAMERÆQVE ET RERV M METALLICARVM
CONSILIARIO



ILLVSTRISSIMO COMITI AC DOMINO
DOMINO
FRIDERICO CASPARI
S. R. I.
COMITI DE GERSDORFF

DYNASTÆ IN KAVPPA, GLICKSBOLBRIZ,
RATTWIZ, UYST, LIPPEN, LEICHNAM
SALGA ETC. ETC.

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
REGIS POLON. ET ELECTORIS
SAXONIÆ

IN LVSATIA SVPERIORI PRÆFACTO SVPREMO
SACRI CVBICVLI COMITI

ITEMQVE

AVLÆ ET IUSTITIÆ CONSILIARIO ETC.



V I R O

PERILLVSTRI AC EXCELLENTISSIMO

GENEROSISSIMOQVE DOMINO

DOMINO

CHRISTOPHORO ERNESTO

DE GERSDORFF

DYNASTÆ IN PLISCHKOWIZ ETC.

SERENISSIMI ATQVE POTENTISSIMI

REGIS POLON. ET ELECTORIS
SAXONIÆ

SACRI CVBICVLI COMITI

ITEMQVE

REDITVVM IN LVSATIA SVPERIORI PRÆFACTO

DOMINIS SVIS GRATIOSISSIMIS



HANC

DE VIA REGIA LVSATIÆ SVPERIORIS

DISSERTATIONEM

IN PIETATIS ET OBSEQVI TESTIMONIVM

HVMILLIME OFFERT

VITAM LONGÆVAM ET PERPETVAM FELICITATEM

PRECATVR

ILLORVMQVE

GRATIÆ ET PATROCINIO

EA

QVA FIERI POTEST

OFFICII RELIGIONE ET OBSERVANTIA

SE COMMENDAT

AVCTOR.





I.



Monstraturus sum viam, multis abhinc seculis tritam, & antiquitate quidem sua satis illustrem, nec ulli facile peregrinantium ignotam. Est illa via regia Lusatiae Superioris, qua ex Polonia & Silesia itur in Bohemiam, Misniam, Thuringiam, & Saxoniam, aliasque Germaniae provincias, illis quidem, qui merces vel importantes, vel exportantes, Quissum, Lusatiae superioris fluvium, transeunt, ita tenenda, ut, postquam Vratislaviam, Brigam aliasque hujus regionis urbes accefferint, inde Lignicum, Haynam, Buns-laviam, Naumburgum aut Loebenbergam, mox Laubam, & Gorlicium tendant, inde Bohemiam petitori, Zittaviam, Saxoniam vero aliasque Germaniae provincias adituri, Budissam, Camencium, Koenigsbruckam, Haynam, Oschacium, hinc vero vel Eulenburgum vel Grimmam, Lipsiam usque proficiscantur. Haec via variis quidem variorum Imperatorum, regum, principumque sanctionibus satis est munita, adeoque certa & simplex, ut mirum videri posset quibusdam, nos lucem facere, ubi nox est nulla, & id demonstrare, cujus nemo est ignarus. Hi autem si intellexerint, quantopere haec via improborum hominum, optimorum principum intentionem eludentium, cavillationibus

bus tentata sit & impedita, longe forsan aliter judicabunt, existimabuntque, nos rem non plane indignam aut inanem moliri, qui viam hanc ostendendam, & ab impedimentis repurgandam in nos suscepimus. Neque etiam arguat nos quisquam, quod tanta cura, tantoque studio, viæ hujus peregrinantium in eligenda via libertatem, qua quilibet pro arbitrio uti posse videtur, restringimus. Agitur enim hic res majoris momenti. Defenduntur vestigalia principis. Versatur hic commodum plurimarum provinciarum, & amplissimarum urbium. Interest Lusatiæ Superioris. Interest Misniæ & totius, quæ regi nostro paret, Saxoniae. Inprimis vero hic quoque agitur causa celeberrimæ urbis Lipsiensis. Tanto igitur lubentius, tantoque majore voluptate rem aggredimur, quanto magis & regis nostri, & patriæ, ejus amor optimum quemque tenet, referre videtur, ut jura hujus viæ illæsa semper illibataque conserventur.

II.

Ut vero ordine res agatur, imitabimur illos, qui latebrosas & difficiles vias peregrinantibus comiter ostendunt. Hi certe non viam tantum, ejusque initia, a quibus progrediendum est, demonstrant, sed omnia etiam, per quæ iter fieri solet, loca designant, ubi subsistendum sit, moment, interdum etiam causas, propter quas viæ semel instituta sit tenenda, nec facile deferenda, adducunt. Juvabit & nos, in via satis quidem expedita versantes, non iter saltem accurate designare, sed tradere etiam origines, & causas, quæ majoribus fuerint, viæ hujus instituendæ. Hoc autem ut eo melius fieri possit, inquiremus in originem hujus juris, quo peregrinantes, ut viis, a summis imperantibus designatis, insistant, adstringuntur.

III.

Quodsi accuratius rem consideramus, & in naturam viarum publicarum diligentius inquiremus, videmus quidem,

dem, illas in iis rebus habendas esse, quarum innoxia est utilitas, quarumque usus, dum prodest uni, non nocet alteri. Has autem res natura toti quasi generi humano permittit, earumque usum omnibus gentibus esse communem voluit. Vidit hoc CICERO, vir summi ingenii, & mentem his verbis expressit *L. I. de offic. c. 16. omnia autem communia hominum videntur ea, quae sunt generis ejusdem, quod ab Ennio positum in una re, transferri per multas potest.*

Ut homo, qui erranti comiter monstrat viam,

Quasi lumen de suo lumine accendat, facit:

Ut nihilominus ipsi luceat, cum illi accenderit.

Una enim ex re satis praecipitur, ut, quidquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur cuique vel ignoto. Quod autem CICERO hic generatim differit de communi usu harum rerum, quae, dum alteri sunt utilia, alteri molestiam & detrimentum non afferunt, id quidem PAVLVS *l. 2. §. 5. D. de aqua, & aquae plu. arcendae* confirmat, imperatores vero DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS *l. u. C. d. servit. & aqua* expressis verbis sigillatimque ad vias publicas trahunt, ita pronunciantes: *Uti autem via publica nemo recte prohibetur.* Ejus igitur conditionis sunt viae publicae, ut earum usu liberrimo nemini facile interdicendum, neque etiam libertas peregrinantium in eligenda, cui insistant, via, restringenda videatur. Nihilo tamen minus experientia nos docet, in omnibus fere rebus publicis peregrinantibus certis incedendum esse viis, & ab illis sub gravi poena discedi non posse. Id igitur unde ortum suum trahat, age, ulterius indagemus.

IV.

Sunt equidem, qui viarum publicarum institutionem a sola principum dispositione, eorumque regali, quod dicunt, viarum publicarum jure repetendam esse existimant, a quorum tamen ut recedamus opinione, gravissimae nos movent causae. Quamvis enim summorum imperantium

potestati nihil quicquam detractum velimus, neque etiam a quoquam, nisi omnium rerum ignaro, in dubium vocari possit, jam antiquissimis temporibus societates quasdam, mox etiam justas respublikas, extitisse, nemo tamen nobis facile persvaserit, ita statim ordinatas fuisse illas, ut principes omnes in communi positas res sibi solis adscripserint. Tantum igitur abest, ut ad eos referenda videatur primarum institutarum origo, ut potius a frequenti hominum, quorum alter alterius insistebat vestigiis, usu sit deducenda. Neque tantæ etiam erant primæ illæ civitates, ut ab earum finibus sine magno peregrinantium incommodo defleci non potuisset. Aucto tamen hominum numero, rerumque publicarum finibus latius propagatis, peregrinationibus etiam omnis generis hominum variis ex causis frequentioribus factis, principes ad rem suam intentos, salutis etiam publicæ causæ, vestigialia, in viis provinciarum suarum maxime usitatis, ab iis imprimis, qui merces vel importabant, vel exportabant, pendenda, imperare cœpisse, peregrinantibus vero, ut a locis, in quibus solvenda erant telonia, diverterent, amplius licitum non fuisse, a vero non plane alienum esse videtur. Ad hoc accessit, quod, crescentibus gentium commerciis, mercatoribus undiquaque concurrentibus, mercesque vel ementibus, vel vendentibus, emporia fuerunt constituta a summis imperantibus, idque eo fine, ut commodum & salutem totius cujusdam provinciæ adjuverent, vel singulas etiam urbes eo illustriores ditioresque redderent. Huc igitur res promercales erant perferendæ. Inde denuo ab aliis petendæ. Nulli vero mercatorum permissum erat, ut, neglecto posthabitoque emporio, publica auctoritate constituto, merces alibi vel exponeret, aut expositas compararet. HERODOTO si fides est, Naucratis, urbs Ægyptia, tale fuit emporium, idque jam Amasis, Ægyptiorum regis, temporibus factis vetus, quo ut convenirent mercatores, lege publica adstricti erant. Sic enim scribit *L. II. Nam vetus emporium*

erat



erat sola Naucratis. Præter hoc in Ægypto aliud nullum. Quod si quis in aliud aliquod Nili ostium applicuisset, is necesse habebat dejerare, se venisse invitum, dato jurejurando, se eadem navi ad Canobicum navigaturum: et si id minus per contrarios ventos possset, onera fluvialibus navigiis circumacturum, lustrando Delta, donec perveniret Naucratem. Ita Naucratis in honore erat. Sed præterea exteris ideo etiam certi limites sunt designati, quousque progrederebantur, ne totam provinciam pervagantes, reipublicæ arcana scrutarentur. Elegans hujus rei testimonium extat in l. 4. C. de Commenc. & mercator. qua HONORIUS & THEODOSIUS, imperatores, mercatoribus interdixerunt, ne ultra urbes negotiis exercendis destinatas progrederebantur, his verbis uli: *mercatores tam imperio nostro, quam Persarum regi subjectos, ultra ea loca, in quibus, fœderis tempore, cum memorata natione nobis convenit, nundinas exercere minime oportet: ne alieni regni, quod non convenit, scrutentur arcana.*

V.

Habes originem & causas restrictæ, in variis gentium regionibus, libertatis, qua antiquioribus temporibus peregrinantes in via tenenda uti potuisse videntur. Vidimus, illam ab iis demum temporibus repetendam esse, quibus commercia inter gentes florere cœperunt. Sed rarius ad Germanos veteres, majores nostros, commeabant mercatores, qui ea, quæ tum ad effeminandos animos, tum ad vitam sustentandam pertinent, importarent. Tanto enim minus illi rerum exterarum cupiditate ducebantur, quanto magis omnis vitæ ratio, cui a pueris assueverant, a rebus, quæ ad luxum spectant, aliena erat, quum illa, quæ patrium solum proferre solet, iis sufficerent. Cibis enim utebantur simplicibus. Vescebantur lacte & caseo, pomis agrestibus, & carne, cujus maximam copiam ipsis suppeditabant pecudes,



des, quibus fecunda erat Germania, teste TACITO *de M.G. c. 5.* tum silvæ, quæ densissimæ erant, ideoque ad feras alendas maxime accommodatæ. Vino homines ad laborem ferendum remollescere arbitrabantur. Potus igitur, quo utebantur, erat aqua, ex hordeo & frumento corrupta. Neque majus vestibus statuebant pretium. Venationes enim, quibus cibum conquirebant, vestimenta etiam suggeriebant. Pellibus enim ad corpus aliqua ex parte tegendum utebantur, & locupletissimus quisque a pauperrimo non aliter distinguebatur, quam veste paulo curatius confecta, singulosque artus exprimente.

VI.

Vides igitur, rebus ita comparatis fieri non potuisse, ut mercatoribus exteris aditus esset ad majores nostros, qui ab omni luxu, splendore, & voluptate, adeo erant alieni, ut auctore TACITO *de M.G. c. 20.* ne dominus quidem a servo educationis deliciis dignosci posset. Neque erraverim, si, inter ipsas Germaniæ diversas civitates quicquam commerciorum fuisse, negem, cum patria terra tantum cuique civium suppeditaret, quantum appetebat, ut adeo rebus exterarum gentium tanto facilius carere potuerint. Non est nostrum in præsentiarum, inquirere, bene an male sic sibi consuluerint veteres Germani. Id saltem exinde probare volumus, deficientibus commerciis, nec vectigalibus, quæ a mercatoribus, merces vel importantibus, vel exportantibus, pendendi solent, locum esse potuisse, multo minus autem vias publicas per Germaniam jam tum designatas fuisse.

VII.

Mutato vero Germaniæ statu, pluribusque minoribus populis in unam Francorum gentem cœuntibus, majorem commerciorum usum esse coepisse, & vectigalia quoque constituta fuisse, evidentia scriptorum testimonia declarant. Ut enim taceam commercia, quæ jam Merovingorum regum temporibus floruerunt, quorumque nomine vectigalia con-

constituta fuerunt, teste CHILPERICO rege, in diplomate ecclesiae Tornacensi dato, CAROLVS M. certe iuvandis commerciis admodum studuit, & ut quam maxime floerent, omnem operam industriamque impendit. Telonia vero pluribus locis solvenda fuisse, leges, quas hac de re promulgavit, testantur. Sed hæc tamen nequiquam impediverunt, quo minus quisque quacunque via iter facere posset. Vectigalia enim iis temporibus non, nisi in refectio- nem pontium, aut pro trajectu, solvebantur. Testis hujus rei satis locuples est CAROLVS M. imperator, & rex Fran- corum, qui quidem, de causis vectigalium disponens, ita pronunciat: *ut nemo cogatur ad pontem ire, ad fluvium transeun- dum, propter telonei causas, quando ille in alio loco compendio- sus illud flumen transire potest. Similiter & in plano campo, ubi nec pons, nec trejectus est, ibi omni modo præcipimus, ut non teloneum exigatur.* Vid. BALVZIVS in capitul. reg. Fran- cor. T. I. c. 54. p. 764. Vides exinde, CAROLVM M. in ve- ctigalibus exigendis nihil aliud egisse, quam ut fisco, pro- pter impensas, in pontes faciendas, indemnitas præstaretur; at, ut opes inde colligeret, ne in mentem quidem illi ve- nisse. Id quod luculentius apparet ex capitulari ejusdem CAROLI M. 15. de anno 805. apud BALVZ. T. I. p. 432. ubi ita loquitur: *nova vero telonea, sive injusta, ubi vel funes ten- duntur, vel cum navibus sub pontibus transitur, in quibus nul- lum adjutorium iterantibus præstatur, ut non exigantur.* Id tamen negari non potest, aliqua restrictæ peregrinantium, inprimis autem mercatorum, in via eligenda libertatis ve- stigia iis jam temporibus observari. Videmus enim ex ca- pitulari CAROLI M., quod extat apud BALVZIVM capit. reg. Francor. T. I. p. 425. mercatores Avaros & Sclavos cer- tis limitibus circumscriptos, atque obstrictos fuisse, ut mer- ces suas in certis saltem locis, in capitulari dicto designatis, exponerent. Verba imperatoris ita se habent: *de negotia- toribus, qui partibus Sclavorum & Avarorum pergunt, quous-*

B

que

que procedere cum suis negotiis debeant, id est, partibus Saxoniae usque ad Bardewicb, ubi praevideat Hredi, & ad Schesla, ubi praevideat Madalgorz. Ad Magadoburg praevideat Harro. Ad Erpissfurt praevideat Madalgaudus, ad Foracheim, ad Breemberg, & ad Ragenisburg, Audulbus & Lauriacum Warnarius &c.

VIII.

Insecutis regum Saxonicae stirpis temporibus, quin commercia incrementa ceperint, nulla plane causa est, ut dubitemus. Quis enim nescit, quantum industriae impenderit HENRICVS, quem Aucupis nomine designare solent scriptores, qui rerum gestarum monimenta consignarunt, ut Saxonum suorum & totius Germaniae conditionem meliorem redderet? Quis ignorat, omnes illum nervos intendisse, in gloriam suae gentis amplificandam? Quanto magis vero ad salutem cujusve reipublicae promovendam faciunt commercia, tanto minus certe neglexisse videtur illa, quae ad frequentiore illorum usum pertinere sapientissimus princeps, pro ea, qua in gubernanda republica pollebat, prudentia, optime perspiciebat. Atque hoc eo probabilius ad fidem videtur, quo certius est ex EKKEHARDO, & capitulari CAROLI M. supra in medium adducto, jam CAROLI M. temporibus plures Germaniae urbes commercio floruisse. Vestigialia autem mercium aliarumque rerum nomine instituta fuisse, magis verisimile est, quod optime intelligebat prudentissimus Rex, nervos reipublicae in iis consistere, inde & pacis ornamenta, & belli subsidia, petenda esse. De OTTONE M. denique cognitum habemus, illum anno 966. Bremae urbi facultatem solennium nundinarum instituendarum concessisse, eaque concessione tum huic, tum aliis quibusdam vicis, & urbibus, indulta effecisse, ut certus esset commerciorum locus, solennisque mercandi causa conventus. His autem rebus libertatem mercatorum commeandi, mercesque, quocunque vellent,

vellent, deportandi, sensim paulatimque fuisse imminutam, nemo non videt.

IX.

Sed progredimur nunc ad tempora illa, quibus Germania nostra commerciis fuit florentissima. Admodum paucae erant, quae a peregrinantibus olim advehebantur, merces. Neque etiam major illarum rerum copia erat, quae ad alios perferebantur. Sed dici non potest, quantum Svevicis imperatoribus regnantibus, incrementi coeperit omnis generis mercatura. Imprimis vero seculo XI. & XII. patria nostra commerciis sic inclaruit, ut nulli rerum publicarum, quae in Europa extabant, esset secunda. Neque mentior, si dico, illam omnes fere post se reliquisse. Satis celebre est foedus illud Hanseaticum, & ita cuius notum, ut multis verbis de eo opus esse non videatur. Id saltem non possum non monere, urbes, quae in hoc foedus coiverunt, hoc maxime spectasse, ut contra praedones se defenderent, libereque, quocumque vellent, navigare, merces, imprimis in Germania confectas, exportare, & alias desideratas afferre possent. Quo majus autem fuit illis temporibus negotiandi studium, quo plures etiam undiquaque, tum ex ipsa Germania nostra, tum ex regionibus exteris mercium petendarum causa, concurrebant, tanto faciliores fuerunt principes illorum temporum in vectigalibus & teloniis imponendis. Quae quo frequentiora facta sunt, eo magis adstricti fuerunt peregrinantes, ut viis, in quibus loca teloniis solvendis constituta erant, insisterent. Tantum enim abest, ut pristina semper abstinentia & aequitate usi sint Germani in vectigalibus imponendis, ut potius eo processerit imperantium in conquirendis hac ratione opibus studium, ut publica opus esset auctoritate, ad coercendam hominum lucri cupidissimorum licentiam, & nisi omnem commerciorum usum brevi extinctum vellent, injustis illis vectigalibus modus ponendus esset. Quid hac de re actum sit



OTTONIS IV. Imperatoris temporibus, GODOFRIDVS MONACHVS refert his verbis : *Rex & ceteri principes iuraverunt firmam pacem, terra marique servandam, omnesque injustas vectigalium exactiones deponendas.* Quanta severitate obviam sit itum injustis vectigalium exactionibus FRIDERICI II. imperatoris temporibus, videre licet ex ejus constitutione de anno 1236. cujus hæc sunt verba : Wir sezen und bieten, daß alle dy Zolle, dye mit Unrecht gehabent sin, anders dann sie von erst uffgesetzt sind, daß dy Hebung absh, und der Zolle bleibe, als er zu recht sol. Wer das bricht, den soll man halten für einen Straßen-Neuber. Wir sezen und gebieten, daß alle die Zolle, dy syder unsers Vatters Todt Kaiser Heinrich aufgesazte auf Wasser und uff Lande, von wenne sy gesetzt sind, daß sy gare absyn. Es sy dann der yne bewezen moge von dem Riche, als er von Recht solle. RVDOLPHVS vero Imperator ita constituit : Wir sezen und gebieten, daß alle die Zolle, di sit Keiser Friderichs Zeiten aufgesetzt sind auf Wasser und auff Lande, von swem sie gesetzt sint, daß sie gar absin. Es ensi, das der, der in da hat, beroden müg von dem Riche, daß in ze rechte haben sol. Neminem etiam later, quantæ molis fuerit res, cum ALBERTVS I. vectigalibus injustis tollendis manum admoveret, annoque 1301. ita disponeret : Die nuwen Zolle selent auch abesin, swo si gemazhet sint uf dem Lande, oder uf dem Wasere. Malo huic, quo omnis Germania laborabat, sanando non leges sufficiebant, utpote quibus nunquam obtemperatum esset, nisi armis quoque contradicentes fuissent coerciti, vid. CHRON. COLMAR. P. II. p. 61. & 62. ALBERTVS ARGENTIN. p. 112. Tandem vero com & ipsi imperatores in concedendis, quæ principes exigent, vectigalibus, indulgentiores essent, pecunia etiam accepta, monopolia pluribus permitterent, adeoque omnem fere commerciorum libertatem tollerent, publica imperii lege sancitum est, ipsique imperatores per capitulationes, quas dicunt, adstricti fuerunt, ut nimia vectigalia coer-

coercerent, modumque monopolis ponerent; adeoque peregrinantibus, imprimis vero mercatoribus, qui corruptis illis temporibus vix pedem libere proferebant, aliquantum libertatis naturalis restituendum curarent. vid. *THVANY* *L. XLVII.*

X.

Sed præter eas, quas jam enarravimus, causas alia nunc, eaque gravissima, propter quam libera peregrinantium facultas, iter quacunque via profequendi, fuit imminuta, sese nobis offert, quæ ita comparata est, ut minus in se odii, quam reliquæ, ante a nobis in medium allatæ, continere videatur. Inveteratus nimirum reipublicæ nostræ morbus fuit, ut latrocinia in ea essent frequentissima, nullamque, dummodo extra fines illius, cujus quisque membrum erat, civitatis fierent, infamiam haberent. Quid? quod, teste *CAESARE de B. G. I. 6.* ea juventutis exercendæ ac insidiarum minuendarum causa fieri prædicabantur. Et ab initio quidem Germani prisci, testante *MELA L. III. de situ orbis*, hospitibus mites bonique extiterunt. Sed postea nec his pepercerunt, verum, neglectis sanctissimis naturæ & gentium legibus, & contempta fide, qua tamen totius humani generis societas continetur, nulla personarum, rerum aut loci ratione habita, grassabantur, alterque alterum, aut sine omni causa, aut ex levi saltem, adoriebatur, neque prius quiescebat, quam animum sanguine, spoliis, incendiis, aliisque sceleribus, satiasset. Publicam igitur securitatem turbare, adeo quidem usu receptum erat, ut nemo facile, sine vitæ bonorumque periculo, iter facere posset. Huic igitur malo, tum universo hominum generi exitioso, tum imprimis commerciis damnofo, ut obviam iretur, nulli quidem industriæ, nullique studio & labori pepercerunt imperantes, &, si vel maxime intestina bella, quæ diffidationes a mediæ latinitatis scriptoribus dicuntur, tolli plane non possent, latrocinii saltem ut modus poneretur, studuerunt.



Hinc variis imperii legibus, quas latius recenset DATTIVS *de Pace Publica L. I. c. 16.* inunctum fuit belligerantibus, ut manum a vineis, olivetis, molendinis, animalibus & instrumentis, ad agriculturam pertinentibus, itemque sacris ædibus abstinerent. Imprimis vero, pro mercatorum omnique generis peregrinantium securitate plus simplici vice constitutum fuit, ut nemo illos quocunque modo læderet aut violaret. Ita disposuit LVDOVICVS BAVARVS, Imperator, anno 1332. Wir setzen auch und gebieten, daß man auf Wasser und Land schirmen und wehren soll, in des vorgeannten Land-Friedes zilen, allen Raub, allen Brand, Gefängnisse und alle Gewalt, die den wiederfahrent, die zu disme Land-Frieden hörent, und auch allen Kaufflüden und allen guten Lüden, die in des Landt-Friedes zilen ritent oder fahrent, gehen oder wandelent, ane alle geferde. Hunc in modum sæpius dispositum fuit a variis imperantibus, quos recenset DATTIVS l. c.

XI.

Sed plus tamen valebant corrupti seculi mores, quam bonæ leges, parumque in his peregrinantibus præsidii erat. Vi opus erat & armis, ad coercendam perfidorum hominum improbitatem, qui tantum jam tum potentia consecuti erant, ut leges non armatas contemnerent. Cum itaque securitas publica melius atque efficacius asseri non posset, quam per conductus, & iudicia, in latrones severius exercenda, varii imperii ordines, fœderibus inter se initis, mutuam sibi opem in extirpandis grassatoribus, publica que securitate restituenda & conservanda, promiserunt, & non iudices solum constituerunt, qui latrones conquirendos puniendosque curarent, sed milites etiam, tanquam firmissima tranquillitatis publicæ præsidia, conscripserunt, qui peregrinantes comitarentur, ipsosque ab omni injuria latronum securos præstarent. Ita enim dicitur in instrumento pacis publicæ, quam anno 1325. stabiliverunt Moguntini, Argentoratenenses, Wormatienses, Spirenses & Oppenheimenses apud

LTH.

LEHMANN. in *Chron. Spirens. L. VII. c. 30.* und daß dieser Frid steet, vest und bindlich verliibe, so hant wir zu Nuß, zu Friden und gemach den Lüten und dem Lande ein gemein geleyte aufgerichtet, und uffgesetzt, zu Wenzel an dem habte, da soll man nemen von den Fuder Wein Elßäfers 2c. 2c. Atque hoc jus conducendi ad ea pertinet, quæ dominis terrarum sunt propria, eumque habet effectum, ut is, qui peregrinantem vel ipse, vel per suos, comitatur, læso ad omne damnum, quod is a latronibus patitur, resarciendum teneatur. Huc spectant verba SPECVLI SAX. *L. II. art. 27.* Wer einen Geleitzte giebt, der soll ihn vor Schaden behüten, oder soll ihn den Schaden gelten. Quod tamen tum demum obtinet, si læsus a via regia, publica auctoritate constituta, non discessit. Designati sunt hac de causa limites, quousque progrediendum esset, quos si quis excesserat, & a latronibus spoliatus erat, sibi ipsi damnum imputabat. Ille vero, qui comitatum dederat, a restitutione erat immunis, per ea, quæ tradunt, FRITSCH *de jur. viar. publ. c. 12.* & HERTIVS *de Super. Territoriali §. 22.*

XII.

Habes itaque causas, ob quas peregrinantium in eligenda via, cui insisterent, libera facultas fuit circumscripta, ex quibus ipsis introducta quoque fuit illa superioris Lusatiae regia, de qua in præsentiarum nobis est agendum. Atqui vero non dubitamus, quin hæc nostra pariter, ac alia, in aliis regionibus, usu crebro hinc inde commigrantium sit instituta, jamque seculo nono, quo quidem Polonos Lusatiam tenuisse, scribit MANLIUS *Rev. Lusat. L. I. c. 44.* fuerit usitata. Quando autem illa magis cœperit frequentari, de eo certi quid afferre nobis non licet. Quantum tamen conjectura assequi possumus, existimamus, ultra tempora Saxonorum Imperatorum procedi non posse. Sub OTTONE M. testatur DITHMARVS MERSEBURGENSIS *Lib. II. edit. Leibnit. p. 383.* Poloniam tributariam & clientelarem Ger-

Germaniæ esse factam. De Misicone vero devicto ita scribit: *Gero, orientalium Marchio, Lufitzi & Selpuli Misiconem quoque cum sibi subjectis imperiali subdidit ditioni.* In fide etiam Misiconem perstitisse, imperantibus OTTONE II. & III. testatur idem DITHMARVS *Lib. II. edit. Leibn. p. 349.* inquit: *In diebus illis Misico semet ipsum Regi Ottoni III. dedit & cum muneribus aliis camelum præsentavit, & duas expeditiones cum eo fecit.* Conversis denique eodem auctore *Lib. IV. ap. Leib. T. I. p. 359.* ad Christianorum sacra Poloniæ incolis, constitutisque episcopatibus Magdeburgensium præfuli subordinatis, tanto sine dubio frequentior hæc via facta est, quanto plus negotii in dies inter Germanos Polonosque esse cepit. Neque alienum a fide videtur, multum ad viæ hujus celebritatem frequentemque usum contulisse famam S. Adalberti, miraculis, pro illorum temporum superstitione, clarissimi, ad cuius sepulchrum iter religiosum suscepisse dicitur OTTO III. a DITHMARO sæpius allegato *Lib. IV. ap. Leibn. p. 377.* cujus verba ea imprimis de causa huc transcribimus, quod Cæsarem iter per ipsam Lusatiam atque Silesiam fecisse demonstrant. Sic autem scribit: *Caesar ad Cicensem perveniens urbem, a secundo Hugone, ejusdem sedis provifore tertio, ut decuit Imperatorem, suscipitur. Deinde recto itinere Misnensem tendens ad civitatem, a venerabili Egedo, hujus Ecclesiæ Episcopo, & a Marchione Ekkebarde, qui apud eum inter præcipuos habebatur, honorabiliter accipitur. Decursis tunc Milcieni a) terminis huic ad b) Diedesif pagum venienti Bolizlaus, qui major laus non merito, sed more antiquo,*

-
- a) Milcienum pagum esse eundem, qui hodie Lusatia superioris nomine appellatur, ex Imperatorum Saxonorum & Salicorum diplomatibus probat GVDLING in *Henrico Aucupe p. 171.* Add. SCHVRZFLEISCH. *diff. de Lusat. §. 5.*
- b) Diedesif pagus est Milcienis & Sileis finitimus. vid. PAULINI *de pagis antiquæ Germaniæ p. 58.*

quo, interpretatur, parato in loco, qui Iloa dicitur, suimet hospitio multum hilaris occurrit. Qualiter autem Cæsar ab eodem tunc susciperetur, & per sua usque ad Gnesin deduceretur, dictu incredibile atque ineffabile est. Videns autem longe urbem desideratam, nudis pedibus &c. Quæ quum ita sint, minus dubito, plures, subsecutis temporibus, Imperatoris exemplum imitatos esse. Persvadent hoc mihi mores illius seculi ad superstitionem, & sacra præsertim hujus generis itinera maxime proclives. Has autem ipsas peregrinationes sacras multum ad usum frequentiore commerciorum contulisse, adeo certum est, ut nemo id, nisi rerum antiquarum expertus, sit negaturus. Quibus temporibus tamen mutua utriusque gentis commercia maxime florere cœperint, de eo silent superioris ætatis scriptores. Equidem HELMOLDVS & ADAMVS BREMENSIS referunt, jam antiquissimis temporibus Saxones ex portu Slesvicensi ad Prussos navigasse, pellesque inde, utpote superbarum vestium materiam, petiisse, adeoque probabile ad fidem videtur, subsequentibus temporibus hac etiam via, varias hujus generis merces, & alias res, quibus Polonia abundat, utputa frumentum & sal, in Germaniam illatas & pecudes ad nos actas esse.

XIII.

Difcedimus igitur ab iis, de quibus scriptores, qui res gestas superiorum temporum consignarunt, silent, & progredimur ad recentiora. Hic vero se offerunt testimonia, omni exceptione majora, ex quibus satis superque constat, nec novam esse hanc viam, nec superioribus seculis desertam, sed potius satis illustrem atque frequentatam fuisse. Apparet illud ex literis Henrici, Wittigonis, & Henrici de Camentz, qui jam sub initio seculi XIV. usum telonii, quod ab iis, qui ex Silesia Poloniaque veniunt, eoque proficiuntur, pro transitu pendi solet, & nostra lingua der *Durch Zoll* appellatur, Apezoni cuidam, feudi nomine dederunt.

C

derunt.



derunt. Id vero, quod in primis ad viæ hujus celebritatem demonstrandam pertinet, est diploma JOANNIS, marchionis Brandenburgici, qui anno 1315. usum ejusdem vestigialis, quod a peregrinantibus, urbemque Gorlicium transeuntibus, solvendum est, filiis dicti Apezonis, Gunzelino, Ulmanno, Nicolao, Petro & Johanni, civibus Gorlicensibus, in feudum dedit, & pro investitura nonaginta marcas argenti accepit. Patet ex hac pensione, ut tum tempora erant, sat grandi, viam hanc nostram illis jam temporibus frequentatissimam fuisse. Verba, quæ huc continentur, & in literis JOANNIS, Marchionis Brandenburgici, continentur, digna sunt, quæ hic inferantur, ut eo melius de re judicari possit. Ita autem se habent: *Norint universi, quarum notitia exhibebitur præsens scriptum, quod nos Dei gratia Brandenb. & Lusatia Marchio contulimus & per præsentis litteras debito & consueti feudi titulo conferimus prudentibus viris Gunzelino suisque hæredibus legitimis, fratribus videlicet, Ulmanno, Nicolao, Petro & Joanni, Civibus in Goerlitz, filiis Henrici, felicitis recordationis, Apezonis, dicti monetarii quondam filii, manu conjuncta, & insolidum teloneum transfusus per ipsam civitatem, quod vulgariter dicitur Durch • Zoll, quod ipsi quondam a Domino de Camentz noscuntur in feudo possedisse, possidendum & tenendum a nobis & nostris successoribus prædicto jure feudali libere atque quiete absque omni exhibitione personalis servitii & realis. Proinde nobis fratres prædicti dederunt & persolverunt complete nonaginta marcas argenti Brandenburgensis, & pondere, de quibus ipsos quietos dicimus per præsentis. In cujus rei testimonium nostro sigillo sigillatum dari jussimus præsens scriptum datum Enswalda anno Dni 1315. Feria 4. ante nativitatem B. Mariæ. Viam autem hanc jam JOANNIS, Brandenburgici Marchionis, ætate ita circumscriptam fuisse, ut proficiscentibus ab ea discedere licitum non fuerit, apparet ex JOANNIS, Bohemiæ Regis, diplomate, in quo litem inter Gorlicenses & Zittavien-*

fes

fes de hac via nostra ortam decidurus ad literas Branden-
 burgici Marchionis provocat, iisque nifus viam, qua per
 urbem Gorlicensem itur, non solum confirmat, sed reli-
 quas etiam, quæ Seydenbergam, Schoenbergam & Fried-
 landiam ducunt, reprobat, ita pronuncians: *Nos Joannes, Bobemorum Rex, ac Luxemburgensis Comes, notum facimus*
tenore presentium universis, quod inter fideles nostros, dilectos
cives civitatum nostrarum Goerlicensis & Zittaviensis, super
transitu stratarum per Seidenberg & Schoenberg, in districtu
Goerlicensi, & quibusdam juribus, litis controversia suborta
extiterit, ad cuius sopitionem prædictis civibus utriusque ci-
vitatis terminum ad nostram præsentiam præsignando depu-
tavimus deputatum, in quo prædicti cives nostri Goerlicenses
coram nobis jure & antiquo testimonio Marchionis Branden-
burgici demonstrarunt rationabiliter, quod etiam in antea
perpetuis temporibus sanximus & statuimus, a singulis mer-
caroribus & vectoribus, cum quibuscumque rebus transeuntibus,
infallibiliter observari, videlicet, ut omnes mercatores, vecto-
res, & quilibet de Saxonia, Polonia vel aliunde transeuntes, ut
prædictum eum districtum Goerlicensem attigerint, principali-
ter trans civitatem nostram Goerlicensem transire, & singula
jura & consuetudines ibidem debitas, seu ab antiquo observa-
tas, observare debeant & explere. Inbibemus itaque, & inbi-
beri mandamus, ut nullus omnino stratas per Friedland cum
quibuspiam mercibus seu aliis rebus transire debeat, prout in-
dignationem regiam, & corporis & rerum evitare voluerit pe-
riculum. Committimus igitur illustri Carolo, Marchioni Mo-
raviae, primogenito nostro charissimo, & cæteris nostris hære-
dibus, & successoribus, & mandamus universis nostris officiali-
bis, presentibus & futuris, quatenus prædictos cives nostros
Goerlicenses in prædictis gratiis, juribus & consuetudinibus
conservare, & prædictas stratas per Friedland cæterasque in
districtum Goerlicensem prohibitas, inhibeant, & per alias
stratas ad dictam civitatem nostram Goerlicensem transire sin-
C 2
gulos

gulos arceant ac compellant, secusque facientes in rebus & corpore nostra auctoritate punire debeant gravi pœna. Harum, quibus nostrum majus sigillum appendendum duximus, testimonio literarum &c. Dat. Pragæ feria 6ta ante Trinit. anno Domini millesimo Trecentesimo quadragesimo primo. Quæ si comparantur cum illis, quæ brevibus dicuntur in literis JOANNIS, Brandenburgici Marchionis, facile apparet, jam tum vectigalium causa adstrictos fuisse peregrinantes, ad viam hanc Lusatia superioris publicam perseguendam, Tantum igitur abest, ut, MANLIUM secuti, statuamus, primam hujus viæ institutionem JOANNI Bohemia Regi tribuendam esse, uti scribit *L. VI. c. 33. rerum Lusat. aut cum MEISTERO faciamus*, qui originem ejus ad CAROLVM IV. refert in *Annal. Gorlicens. apud Hoffmann. in script. Lusat. Tom. I. Part. II. p. II.* ut potius longe antiquiorem illam esse credamus. Quod si enim tunc demum constituta esset via nostra, certe JOANNES Rex neque ad testimonium Brandenburgici Marchionis provocare, nec, Gorlicensium jus consverudine, diuturno usu, introducta niti, affirmare potuisset.

XIV.

Sed hæstas forsan, atque scire cupis, qua causa moti Gorlicenses præ ceteris pro defendenda hac via, tanquam pro aris & focis, laborarint. Variis scilicet de causis illorum maxime interfuit, ne relicto itinere, quod ad urbem ipsarum ducit, alia via incederent peregrinantes. Ex diplomatibus enim supra adductis apparet, concessum fuisse illis usum vectigalis, quod pro transitu a viatoribus solvitur. Hoc autem privati fuissent, si quidem libera, a via semel instituta defestendi, facultas fuisset. Deinde neminem latere potest, quantum, præter illam, quam ex telonio percipiunt, utilitatem, commodi ad totam civitatem redundet ex frequenti hominum mox huc, mox illuc proficiscentium transitione, quorum nemo urbem facile egreditur, nisi pecunie

cuniae quicquam vel pro cibo potuque, vel aliis rebus, ad iter profequendum necessariis, expendat. Accedit porro, quod, cum per Camenzium, Budissam, Koenigsbruckam transeant illi tantum, qui ex Saxonia aliisque Germaniae provinciis in Silesiam tendunt, Gorlicium transeundum sit etiam illis, qui ex Bohemia in Poloniam proficiscuntur. Hac igitur de causa tanto majorem curam pro viae hujus juribus conservandis adhibendam esse existimarunt, quanto majus exinde sentiunt emolumentum. Denique Gorlicensibus etiam propter pannificum, qui in ea urbe commorabantur, frequentiam, jam olim ratione glasti concessum fuit jus, quod dicunt stapulae, vi cujus omnes mercatores, qui materiam hanc, colorandis pannis apprime aptam, ad alios deferunt, & Lusatiam superiorem intrant, sunt obstricti, ut Gorlicium veniant, mercesque suas ibi venditum exponant; Ut de re constet, addo verba, quibus CAROLVS IV. in confirmando hoc jure usus est in diplomate, quod dedit anno 1356. Ita vero illa se habent: *Quicumque vero mercatores seu vectores sandicem ducentes quibuscunque temporibus vel horis districtui Budissensi & Goerlicensi applicuerint, postquam metas illorum districtuum ingressi fuerint, tenebuntur & debebunt perpetuis temporibus ipso facto intrare civitatem Goerlicensem, & ibidem deponere sandicem, & cum eodem continuare ibidem, ac omnia & singula alia facere, quae antiquitus jure vel laudabili consuetudine noscuntur observata.* Quod jus confirmatum etiam est a FERDINANDO I. his verbis: *Zum eilfften so gebeut auch der Käyser allen Kauffleuten, die mit Waith handeln, welche die beyde Weichbilder und Kreyße, als Budissin und Görlitz damitte berühren, daß sie solchen Waith nirgends anders wohin, dann gen Görlitz führen, alda abladen, verkauffen und verhandeln sollen, auch darvon der Stadt thun und geben, was sie zu alten Rechte von solchen billig zu fordern haben.* Habes itaque causas, propter quas Goerlicenses viam hanc nostram omnium accerrime defenderunt,



derunt, licet plerarumque civitatum etiam interfuerit, ne quicquam in detrimentum viæ regiæ committeretur. Anniadvertis etiam, quod hoc viæ jus Lusati tanta contentione defenderunt, rem non esse parvi, sed maximi momenti.

XV.

Longe autem magis frequentari coepit hæc via, postquam Fridericus II. princeps Elector Saxoniae auctoritate FRIDERICI III. Imperatoris, anno 1458. urbi Lipsiensi permisit, ut solennes nundinas ter singulis annis celebraret, simulque jus illud decantatissimum, stapulae, quod dicunt, concessit, atque adeo plures undiquaque mercatores merces tum importantes, tum petitori & ad externos denuo exportaturi Lipsiam petierunt. Ab his certe temporibus via hæc celebrior facta, & non solum ab Imperatoribus Bohemiaeque Regibus, sed & a Saxoniae Ducibus fuit confirmata. Possent hic multa variorum Imperatorum, Regum Principumque edicta in medium afferri, quibus tota hæc via designatur. Sed nolumus hic justo esse prolixiores, ne nauseam lectori moveamus. Qua de causa illud tantum hoc loco adducimus, quod quatuor post annis, quam nundinae Lipsienses sunt instituta, litis, inter Joannem, Sagani Ducem, & Gorlicenses orta, decidenda causa proposuit GEORGIUS, Bohemiae Rex, in quo viam hanc ita descripsit: also das alle und iegliche bedackte, verbundene, mit Salz und andere Wagen, Kauffleute und Fuhrleute mit welcherley Waaren, oder Kauffmanschaz leer oder geladen von Sachsen, Turingen und Weissen in die Lande gen Pohlen und Schlesien reisen, reiten, treiben oder fahren, und gen Eulenburg oder Grimm kommen, und von den auf Dschaz, Hayn an der Elbe gelegen, sollen fuerder auf Künßbrück, Camenz, Budislin, Görlitz, Lauban und den fuerter gegen Pohlen oder in die Schlesien reisen, reiten, treiben oder fahren, und also wiederum alle und iegliche bedeckte, verbundene, mit Salz, und alle andere Wagen Kauffleute und Fuhr-

Fuhrleute, mit welcherley Waaren und Kauffmanschaz leer oder geladen von Pohlen und Schlessien in die Lande gegen Sachsen, Thüringen oder Meissen reisen, reiten, treiben und fahren wollen mit welcherley Waare und Kauffmannschaz das sey, die den Queiß rühren, und drüber kommen, sollen auf den Lauben, und von dannen auf Görlitz, Budislin, Camenz, Künßbrück, und fürder in die Lande Sachsen, Thüringen und Meissen, auf den Hain, Oschaz, Grimm oder Eulenburg, reisen, reiten, treiben oder fahren zc. zc. Apparet exinde, ab ea etate peregrinantes, inprimis vero mercatores & aurigas, merces vel invehentes vel petentes, non propter vectigalia tantum, in Lusatia superiore solvenda, ut via huic nostrae insisterent, obstrictos fuisse, sed vel maxime ea etiam de causa ab ea recedere non potuisse, iure juri stapulae, quod Lipsia acceperat, quicquam detrimenti afferretur. Id enim ut saluum semper illa sumque servaretur, Saxonum Principes & Imperatores omnem curam adhibuerunt, atque iis, qui quicquam in Lipsiensium commerciorum detrimentum moliebantur, graviter obstiterunt, pervasi, ad salutem Saxoniae, totiusque Germaniae dignitatem pertinere, ut emporium per omnem terrarum orbem celebratissimum quam maxime floreret: Notum est, quid actum sit anno 1512. quo Regis VLADISLAI autoritate concessum erat Vratislaviensibus jus stapulae. Quod enim cum Lipsiensium juri quam maxime obesse intellexisset GEORGIVS Dux Saxoniae, omnes nervos intendit, ut id, quod in odium Lipsiensium concessum fuerat, aboleretur, missisque legatis, effecit, ut tandem Uladislaus sequentem in modum rescripserit: P. P. Als wir vor einen Jahre vergangen nach Rath unser Rätthe beeder Cronen in Handel die Niederlage zu Breslan belangend, in Deywesen Eurer Lieb geschickten Rätthe verlassen, und den Partheyen einen Bescheid gegeben, wolten uns weiter der Niederlage halben befragen, und darnach weitere Zarlegung ansehen. Wo wir denn an demselben Thun der Niederlage viel Beschwerung gefunden, haben wir den Ehrbaren unsern

unsern Lieben getreuen, dem Rath und gemeiner Stadt Breslau
 ernstlich anbefohlen, die angefangene Niederlage fallen zu lassen,
 und zu verstaten, daß der gemeine Kauffmann wie vor Alters,
 seinen Handel auf der gewöhnlichen und verordneten Straßē fah-
 ren, handeln und treiben möge, daß wir auch vermassen dem
 Durchlauchtigsten Fürsten unsern lieben Bruder, Herrn Sige-
 munden Könige zu Pohlen zu erkennen gegeben, auf daß seine
 Majestät ihre Unterthanen dahin zu weisen geruheten. Dero-
 wegen begehren wir an Ew. Liebden freundlichen Fleißes, Sie
 wollen bey Ihren Unterthanen und gemeinen Kauffmann auch
 vermelden, und dahin richten, damit der Handel wie vor Alters
 auf den Stellen und verordneten Straßē zu halten und zu treib-
 en bleibe, daß um dieselben Ew. Liebden beschulden wollen.
 Datum Ofen am Allerheiligen Tage anno 1573. *Pari studio*
Vratislaviensibus contradixit idem GEORGIVS cum quindecim
post annis a FERDINANDO I. idem jus impetrassent. Nec
quiescendum putavit, licet sancte affirmarent Vratislaviens-
es, id quidem Lipsiensibus fraudi non futurum esse, nec
quicquam detrimenti viæ huic nostræ allatum iri. Potest id
optime intelligi ex literis GEORGII DVICIS ad FERDINAN-
